





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-571222-p0001-8

DFG







1647.

1. Conringius, Hermannus : *De constitutione episcoporum Germaniae.*
2. <sup>13</sup> Conringius, Hermannus : *De iudiciis reipublicae Germanicae.* 2 Scupt.
4. Hahn, Henricus : *De jure armatorum.*
- 5<sup>a</sup> = Hahn, Henricus : *De scripturarum recognitione et compositione.* 2 Scupt. 1647 - 1676.
- 6<sup>a</sup> = Hahn, Henricus : *De collationibus bellicis et pacem ac justae vel injustae sunt?* 2 Scupt. 1647 - 1676.
7. Scheurl, Henricus Julius : *De civitate et republica in genere.*








Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-571222-p0007-1

DFG



1647

6847

3

ΣΥΝ ΘΕΩ<sup>ν</sup>  
EXERCITATIO POLITICA  
*DE*  
**CIVITATE ET REPUBLICA IN GENERE.**

*Quam*  
**ADSPIRANTE SUPREMO NUMINE**

PRAE SIDE

*Viro Clarissimo atq; Excellentissimo*  
**DN. HENRICO IVLIO Scheurl,**  
Opt. Art. & Philos. Magistro, Moralium ac Ci-  
vili Professore Ordinario, Facultatis Philosophi-  
cæ Seniore, Præceptore ac Favitore suo æta-  
tē plurimum colendo,

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA

*Publico examini subiicit*

**NICOLAVS ERASMVS Missen**  
Holsatus.

*In majore novi Iulēi auditorio.*

*Ad d. XVII. Martii.*

**HELM AE STADI,**  
Typis HENNINGI MULLERI acad. typ.

**CID IC C XLVII.**





## ΣΥΝΘΕΩΙ.

### THEISIS I.

Vod Corpori est Medicina, hoc civitati est Politica.

II. Quas igitur partes, cum aliis quibuscunque practicarum disciplinarum cultoribus, præcipue sibi considerandas sumit Medicus, de iisdem quoque Politicum sollicitum esse debere, certum est.

III. Sunt autem hæ. 1. Finis. 2. Subjectum, & 3. Media.

IV. Nam in subjectum hoc est humanum corpus, (de Veterinariis enim i.e. Mulomedicis, Hippiatricis similibusq; aliis nunc nobis non est sermo) sanitatem tanquam ultimum finem, per media legitima, introducere vult medicus: vel certè si nondum amissa fuerit, eandem in eo conservare conatur.

V. Id ipsum quoq; Politicum intendere, & ratio clamat, & experientia testatur, & eruditissimi quique Rerumpublicarum gubernatores, authoritatis suæ calculo firmatum eunt.

VI. Ipsa enim certè disciplina, quam Politicus & discit & usurpat, dupliciter considerari potest Vno modo, ut docetur & certis quasi præceptis includitur: unde, quum Theoretici quippiam in se habeat, scientia civilis dicitur.

VII. Altero: ut jam apprehensa possessorem suum ad operandum non solum aptum, verum etiam promptū

A (quod

(quod proprium est habitus acquisiti) reddit. Atq; ita nill aliud fuerit, quam , ipsa Prudentia.

LIX. Hæc verò quum duplex sit secundum Peripateticos, vel potius secundum veritatem: Privata nimirum & Publica, utraq; salutem mortalium quærit eam , quæ in hac vita potest obtineri. HT

IX. Privata namque dicitur, quâ quis sibi suisque tantum consulit. Et in ea moralis Philosophus præcipue est occupatus.

X. Publica : quæ se in totam diffundit Civitatem: estque vel Architectonica , quæ leges ferre, & de novo Remp. fundare docet, vel Deliberativa, quæ de Reip. commodis &c. consultat, vel Iudicaria , quæ controversias inter cives obortas, decidit, sedat, & amolitur.

XI. Quo vero cunque tandem modo prudentiam accipias , salutem hominum quærit , sive singulorum saltem, sive etiam totius alicujus Humanæ Societatis.

XII. Ac prudentis quidem videtur esse (verba sunt Aristotelis lib.vi.Ethic.Nicom.c.5.) in illis quæ sibi bona & utili sunt non singillatim ( verbigratia quænam ad bonam valedinem, aut ad vires) sed universè quæ ad benè beatèg, vivendum conducant, benè consulere posse.

XIII. Vnde ibidem Prudentia definitur: *Habitus cum ratione vera coniunctus, ad agendum idoneus, ( intellige ad modum Directionis, non inclinationis; ne Morales Virtutes cum Dianoeticis confundas ) in iis occupatus, quæ Homini bona & mala sunt.*

XIV. Et paucis interjectis: *Quapropter necesse est, ait, Prudentiam habitum esse, cum ratione vera coniunctum ad agendum idoneum, in bonis humanis occupatum.*

XV. Et quamvis ab ipso Aristotele Deliberativa & judicaria prudentia, propterea quod maximè incurrat in bonis)

sensus, præcipue *Civilis* appelletur; Architectonica tamen, sine dubio princeps est & Dominus, ut vel ipsum nomen ostendit. De iis verò, qui in Rep. jam constituta declarant, judicantvè, disertis verbis Philosophus ita pronunciat: μόνοι γάρ περίτεχνοι ὡσεγ δι καρετέχναι. Soli enim hi, tanquam Operarij Quidam, in rebus gerendis versantur.

XVI. Equibus omnibus rectissime ad Atticum suum epist. xi. lib. ix. Disertissimus Romuli Nepotum concludit: ut Gubernatori cursum secundum, Medico salutem, Imperatori Victoria, ita Moderatori Reip. Beatam Civium vitam esse propositam.

XVII. At hic externus Politici finis, non semper in eius facultate positus. Sicuti nec in gubernatoris secundus cursus, nec in Imperatoris Victoria: nec verò in Medicis Valetudo. Etenim:

*Non est in Medico semper relevetur ut æger  
Interdum doctâ plus valet arte malum.*

XIX. Internus autem finis, qui ad externum comparatus ad instar Medii sese habet ipsumq; adeò officium artificis concernit, est ipsa Multitudinis *Civilis* ordinatio, certis quibusdam Legibus comprehensa, quam si Politicus in sua potestate non habet, ne nomen quidem suum tuebitur.

XIX. Quemadmodum nec Medicus jure vocatur qui medicamenta præscribere nequit, nec Imperator qui aciem non potest instruere, vel alia quævis ad conservandum exercitum necessaria præstare.

XX. Et sanè Civitas in nullum hactenus ordinem redacta, nil aliud est quam bellua multorum capitum, cui hoc proprium ut Lipsius alicubi eleganter loquitur, quod caput nullum habeat.

XXI. Quod ipsum etiam Plato innuere voluit,

quando civitatem ζῷον εὐσέρφωτον, i.e. animal maximè versatilē, appellavit. Quod scilicet difficulter, & non nisi ab iis regatur, qui solertiā, prudentiā & Versatili istā. Eloquentiā pollut, de qua Plutarchus in Præceptis gerenda Reip. præclarè differit.

XXII. Civitas ergo materia est Reipublicæ, quæ nisi in illam ut forma quædam introducatur, corruat populus necessum est: quod certo ordine jubendi parendique destituatur.

XXIII. *Quo sine nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis nec ipse mundus potest, ut elegantissimè juxta verissimeq; Ciceron libro III. de legibus nos docet.*

XXIV. Vnde jam facile apparet, de Civitate prius agendum esse quam de Republica. Id quod Philosophus etiam observat. Nam cum III. Polit. c. 4. de Rep. demum agat prioribus, ejusdem libri capitibus de Civitate ipsa differit.

XXV. Quin etiam l. I. Politicorum statim in initio, de civili communione, quæ πόλις istic καὶ ἡ κοινωνία πολιτῶν vocatur, tam accuratè disputat, ut dictis nihil quicquam superaddi videatur posse.

XXVI. Medicos enim eos ibidem imitatur, quos lib. I. Ethic. Nicomach. c. 13. χαρεύτες, hoc est, Elegantes & accuratè doctos vocat. Qui subjectum suum, corpus humanum videlicet, per sectiones Anatomicas resolvunt inventrem supremum, medium & infimum (vel ut alii in caput, truncum & artus) donec ad minutissimas tam similares quam dissimilares deveniantur partes.

XXVII. *Quemadmodum, inquit, in aliis rem compositam ad simplices usq; partes dividere oportet (eae namq; totius sunt minima) ita & civitatem ex quibus componatur videntes,* consi-

A

considerabimur, atq; adeo de his magis quid inter se differant, &  
si qua ratione & via, singula de quibus dictum est, tractari pos-  
sint.

XXIIX. Hinc statim de societate Mariti & Vxoris,  
Domini item ac servi agit: unde familiam seu dominum o-  
riri demonstrat.

**XXIX.** A familiis porro ad ~~δημοικίας~~ seu vicinitates progreditur, è quibus civitatem tandem componi præclarè demonstrat: quam *cap. 2.* societatem perfectam esse docet, bene vivendi causa naturaliter constitutam.

XXX. Quâ occasione Hominem natura γῶν πλι-  
πηὸν esse probat. Neque huic sententiæ suæ illud adver-  
sari dicit: quod quidam mortalium in civitate vivere non  
posse videantur nec velle.

XXXI. Neque enim secundum naturam id ita fieri; sed vel ob casum, quia quis forte pellitur: vel ob naturam depravatam, ut in hominibus nequam: vel deniq; ob excellentiam quandam humana forte majorem.

XXXII. Itaque duplex est hominum genus, qui revera homines non sunt; sed in figura Humana, alteri divinam alteri ferinam imitantur vitam, ut loquitur præclare in hunc tex-  
tum Antonius Montecatinus.

**XXXIII.** Qui etiam ibidem hæc addit: *Ecce quam  
sunt propinqua, que hic dicuntur à Philosopho iis quæ scribit Di-  
vus Paulus, de Triplice homine: vocat ille. 1. Carnalem. 2. A-  
nimalem. 3. Spiritualem. Aristot. hoc textu. 1. Feram. 2. Ho-  
minem. 3. Deum.*

XXXIV. Estque eximus D. Augustini in hanc  
sententiam de Naturali Civitatum origine locus, lib. XIX.  
*de Civit. Dei cap. 14. ubi: Iusti inquit, non dominandi cupidita-  
te imperant; sed officio consulendi: nec principandi superbia;*  
A 30 Octobris 1848 ad 30 sed

*sed providendi misericordia. Hoc NATURALIS ordo prescribit, ita Deus hominem condidit.*

XXXV. Cumque sententiam hanc ipsæ etiam sacræ literæ passim confirmant, ut patet *ex 1. Reg. c. 8. 1. Paralip. c. 29. Dan. 11. & Rom. 13.* facillimè quivis intelligit, quid de contraria Mirandulæ & Machiavelli opinione sit statuendum.

XXXVI. Videatur hac dñe Cl. Dn. Præses *Dissert. Politic. 1. Thesi 24. & seqq.* Nobis jam illud monuisse sufficiat: Totum videlicet Aristotelis de Civitatum primordiis discursum ab Eloquentissimo Romanorum in per breve compendium redactum esse *lib. 1. offic.* ubi in hunc modum differitur.

XXXVII. *Quum sit hoc natura commune OMNIVM ANIMANTIVM*, ut habeant libidinem procreandi, prima societas est in ipso coniugio: proxima in liberis: deinde una domus, cui sunt communia omnia. Id autem est principium urbis & quasi seminarium Reipublicæ.

XXXIX. Sequuntur connubia & Affinitates, ex quibus etiam plures propinqui: Quæ propagatio & soboles origo est Rerum publicarum. --- Sed cum omnia ratione animos, lustraveris, omnium societatum nulla est gratior, nulla charior, quam ea que cum Rep. est unicuique nostrum.

XXXIX. Sed ad civitatem revertamur: quam Aristoteles loc. cit. & Domo & singulis Hominibus Naturâ priorem esse demonstrat. Quod cum primâ fronte paradoxon non nemini videri queat, distinguendum est cum Doctissimo Zabarella *l. 2. De Demonstrat. c. 10.* inter prius naturâ secundum ordinem Generationis & prius naturâ secundum ordinem Scopi & intentionis.

XL. Secundum ordinem Generationis & Vici & Domus & præcipue Singuli homines ipsâ Civitate sunt prior-

priores. Ex singulis enim hominibus conjugium oritur generationis causa: quâ remotâ nec pater est nec filius, nec Dominus nec servus, & consequenter nec Domus nec Vicus nec Civitas.

XL I. Secundum ordinem Scopi verò seu intentio-  
nis, naturâ prior est Civitas omnibus ceteris societatibus:  
*Itaq. Civitatem quidem Naturâ quam est quisq. priorem esse per-  
spicuum est*, ait Philosophus *i. e. non proc. à fine.*

XL II. Neque verò libro primo tantum de Civita-  
te agit, sed etiam III. Politicor. doctrinam eandem repe-  
tit: & quoniam concreta abstractis sunt notiora, totumq;  
distincte non cognoscitur nisi partibus cognitis, in ipsius  
etiam CIVIS naturam & essentiam inquirit.

XL III. Itaque Verum Civem eum esse statuit, cui  
potestas sit capiendi magistratum vel deliberativum vel  
judiciale: Civitatem verò talium multitudinem suffici-  
entirerum ad vitam necessiarum copiâ instructam.

XL IV. Bodino quidem, viro alias eruditissimo sed  
Aristoteli parum amico, hæc Civis definitio planè non ar-  
ridet. Argumenta tamen quæ lib. i. de Rep. c. 6. adversus  
eam adducit tantinon sunt, ut vadimonium deferere nos  
cogant.

XL V. Nam quod dicit, paucoseam Civitati relin-  
quere Cives, nempe solos magistratus; subditos autem è  
numero eorum eximere, nihil est. Neque enim Philo-  
sophus Civem esse magistratum dicit; sed magistratus  
capacem.

XL VI. Iam, omnes Cives aetu magistratum gerere  
non possunt. Ecquis enim pareat? Interim capaces esse  
possunt omnes, ita ut nunc hic nunc ille, nunc aliis deniq;  
aliusve eum gerat.

XL VII. Quod verò Athenienses vigore hujus de-  
finitio-

definitionis seu descriptionis civibus suis **ex*ui*** spoliarive putat, idq; ideò, quòd in ista Civitate Concionibus & Deliberationibus cuivis interesse haud licuerit: id verò, sit via verbo, falsum est.

**XLIX.** Nam 1. Theseus, teste Plutarcho, neminem exclusit. 2. Hæc erat formula convocandi. **HVC ADESTO OMNIS POPVLVS.** 3. Posito tempore Aristotelis non omnes admissos: quid derogat hoc definitioni?

**XLIX.** Quum præsertim in ipso textu concedatur hanc definitionem præcipue iis convenire civibus, qui in Rep. populari degunt, ut jam jam ostendetur.

**L.** Est igitur ejusdem farinæ & illud Bodini argumentum: quò secundum hanc definitionem Tyrannidem, Regnum, Oligarchiam & Democratiam Civibus carituras esse concludit.

**LI.** Solutio enim habetur in textu: ubi ostendit Philosophus, vocabulum **CIVIS**, si non æquivocum faltem Analogum esse.

**LII.** Sciendum autem, inquit, earum rerum in quibus res subiectæ specie differunt, & ex his hæc quidem est prima, illa vero secunda, illa deniq; proxima, quâ parte sunt tales, aut nihil omnino aut vix esse commune.

**LIII.** Hoc est: ut vocabulis paulò notioribus utamur: quæ secundum prius & posterius dicuntur, non habere genus univocum, atque ideo primum analogatum solere definiri.

**LIV.** Vnde vix septem lineis interjectis statim sub jungit: *Quare explicatus maximè in Democratia est Civis, (πολίτης τῆς πολιτείας) in aliis vero fieri potest ut sit, (talis scilicet qualem definivimus) non tamen est necesse.*

**LV.** Sed estne omnino nihil, quod desiderari in ea defini-

definitione possit, quam Aristotelicæ huic tanquam, si  
Dñs placet, longè meliorem substituit Bodinus? Id vero  
jam jam parebit.

L VI. *Civis*, inquit, est homo liber, alienæ potestatis sub-  
jectus. Non dicam hic multis de eo, quod definitum sit  
in prædicamento Relationis, Genus autem ex Prædica-  
mento Substantiæ defumatur.

L VII. Sed illud tamen prorsus nequeo probare:  
quod differentia (LIBER) excludat tantum servos; non  
autem Inquilinos, Peregrinos, Viatores etc.

L IX. Adde quod integras etiam reperire sit natio-  
nes, quæ sint naturâ servæ: quibus tamen Civitates suæ nō  
videntur esse negandæ.

L X. Minime omnium autem ferendum, quod  
contra naturam Analogorum ab imperfectione, videli-  
cet à parendo, definiatur *Civis*, quum debuissest à perfe-  
ctione definiri, quæ in deliberando & judicando, con-  
sistit.

L XI. His ita de *civis* definitione explicatis, unicam  
tantum quæstionem hic enodabimus: *Vtrum videlicet Bo-  
ni Viri bonique *Civis* eadem sit virtus atq. perfectio, quam ipse  
etiam Philosophus III. Polit. c. 3. proponit.*

L XII. Et verò etsi paulo prolixius, adeò tamen per-  
spicue ibidem de ea disseritur, ut difficultatis nihil relin-  
quatur. Nam *Civis* Virtus in eo consistit, ut quis amans  
sit ejus Reip. Cujus est *Civis*: sive bona ea fuerit, sive  
mala.

L XIII. Vnde qui frugi non est, bonus tamen *Civis*  
esse potest in ea Republica, cuius lex sit: *Nemo nostrum fru-  
gi est*. Ut igitur bonus futor, bonus sartor, bonus pistor,  
esse quis potest, etiamsi bonus Vir non sit; ita etiam hic  
læse res habet.

B

LXIII. De-

LXIII. Deinde ut quis Vir bonus sit, ad hoc unæ  
cædemque Virtutes sufficiunt, quos Iustitia Vniversalis  
comprehendit: Sed Civium bonorum distinctæ sunt  
Virtutes.

LXIV. Alia enim decet Consulem, alia Senato-  
rem, Quæstorem alia, alia gregarium civem seu subditum:  
sicut in domestica societate alia Mariti, alia uxoris, alia  
Domini, alia Servi est Virtus.

LXV. Aristoteles quidem ipse egregio exemplo,  
a Nautis desumpto rem illustrat, quos omnes quidem eo  
tendere debere statuit, ut navigatio sit felix, & salvi o-  
mnes qui unâ navigant; interim aliud tamen officium es-  
se remigis, aliud gubernatoris, aliud proretæ, & ita con-  
sequenter.

LXVI. Optima profecto boni Politici hæc pictura  
est, quam & Cicero, loco jam supra ex Epistola xi. l. ixx. ad  
Atticum citato, commendat, & eruditissimi qui que viri suo  
suffragio comprobant.

LXVII. Etenim gubernator in puppis edet, haud  
quaquam otiosus, ut videri cuiquam possit; sed omnia  
ipse animo curans, primumque ac maximum negotium  
œculis manuque gerens.

LXIX. Interea tamen alius malum concendit,  
alius per transtra currit, alius remum dicit, alius sentinam  
exhaustit, alij aliud pro salute totius societatis agunt.

LXX. Nec agunt tamen hæc omnia arbitratu quic-  
que suo, ut elegantissimè Celeberrimus Caselius hunc  
locum interpretatur; sed prout Gubernator vel antè do-  
cuerit, vel ex re nata comprobaverit suo nutu.

LXXI. Affinis etiam est præcedenti quæstiōni ea,  
quæ ibidem à Philosopho movetur: An scilicet Opifi-  
ces, (principue sordidi & mercenarij) pro veris civibus  
sunt habendi?

LXXII

LXXI. Ratio dubitandi hæc est. Quantumvis enim Magistratum non gerant: sunt tamen 1. in Civitate nativis (hoc enim nunc præsupponimus) sunt 2. Valde necessarij in eādem: & 3. tamen neque advenis, neque peregrinis, neq; servis aut libertinis, annumerari possunt.

LXXII. Solvit autem hoc dubium Philosophus duplicitate 1. Per instantiam. Nam etiam infantes in Civitate nascuntur à civibus: quos tamen actu ipso jam Cives esse nemodixerit, qui, quæ sit Virtus Civium, non prorsus ignoret.

LXXIII. Quod ipsum etiam de senibus depontamis (ut apud Romanos appellabantur) asseverat. lib. 3. c. 1. Et pueri, inquit, qui propter etatem nondum sunt profisi, & senes dimissi; DICENDI quidem sunt cives quodammodo, non simpliciter tamen planè, sed addendo, illis quidem, quod sint imperfecti, his verò, quod jam effæti aut quid aliud similé: nihil enim refert: planum est enim quod dicitur.

LXXIV. Planum esse ait, quod dicitur: nimirum opus esse additamento, ad nomen civis. Logicus dicet, Secundum suppositionem non Naturalem sed Accidentalem vocari cives: quemadmodum Virginem deflorata dicimus, quæ virgo fuit, aut conjugem desponsatam, quæ forsan adhuc est infans.

LXXV. Abhorret igitur à logomachijs atque ideo disertè monet: Σκεπτέον τίνα χεὶ παλέν πολίτων καὶ τίς ὁ πολίτης οὐ. Id est videndum, quem civem appellare oporteat, & quis sit Civis.

LXXVI. Conturbatus enim nominum usus, & rerum ipsarum cognitionem conturbat, ait rectissime Galenus l. 3. de simpl. med. fac. Et passim Epictetus: Principium eruditiois est nominum trutinatio. Quibus Plato præluxit in Gorgia afferens: Vocabulorum gnaros, gnaros etiam fore ipsarum rerum.

LXXXVII. Vnde Aristoteles & Gorgiae Leontini,  
sive dubitantis, sive joco quodam ludentis, sententiam  
tanquam improvidè satis prolatam, ruditatis damnat qui,  
quemadmodum, ajebat, mortaria ab ijs fiunt, qui artem hanc te-  
nent h.e. qui conficiunt mortaria: ita esse opifices Larissæ, à qui-  
bus Larissæ. i.e. Cives fieren.

LXXXIX. Stante enim hac civium definitione, &  
progressum in infinitum fore existimat; quum etiam de-  
avis proavisque eadem semper redeat quæstio, an scilicet  
à Civibus sint generati; & desituros esse. Cives non eos  
tantum, qui primitus civitatem aliquam fundaverint, sed  
& istos qui primi omnium ex illis natigenitivé fuerint.

LXXXIX. Adversus argumentum de Necessitate,  
ab alimentis animalium instantiam affert, quæ necessaria  
quidem esse concedit, neque tamen pro partibus anima-  
lium agnoscit.

LXXX. Videndum autem egregium illud artifi-  
cium celandi suam conditionem opifices & Mercenarios,  
quod sub finem *capit. III. l. 3. polit. à Principe Politico-*  
*rūm* proponitur, hodieque in optimis Rebus p. non sine  
magno mortalium commodo observatur.

LXXXI. Distinguit præterea Philosophus inter  
distinctas Rerum p. species: quæ ut diversæ sunt, ita diver-  
simodè, ad quæstionem propositam quoque responderii  
debere statuit.

LXXXII. In statu enim populari, ubi soli exclu-  
duntur servi, tūm mercenarios tūm opifices, pro Civibus  
haberi posse; in Aristocracia vel Monarchia, nequaquam.

LXXXIII. In Olicharchia, (ubi pauci, sed Divites  
summam Reip. in manu habent) Artifices quidem pro  
Civibus agnoscit: quando videlicet opulentiores jam  
facti, ab ipso artis exercitio aliquandiu abstinuerint;

Merce

Mercenarios tamen (ut onerum portatores, stabularios  
& id genus alios) hoc nomine vix dignatur.

LXXXIV. Sed ad materiam Reip. revertimur hoc  
est ad Civitatem, quæ est Multitudo eorum, quibus aditus jur<sup>e</sup>  
suo patet ad Iudicia, Deliberationes & Magistratus, sufficiente-  
rum ad vitam necessariarum copia, instructa.

LXXXV. Tullius, loco jam bis citato, resistas ne-  
cessarias ita numerate: 1. Ut opibus firma, seu copiis lo-  
cuples. 2. Gloriæ ampla. 3. Virtute honesta sit.

LXXXVI. Opes requirit seu Nervum rerum ge-  
rendarum, ut alij loquuntur; ne contra cœli tantum in-  
jurias, vel adversus famem ac esuritionem sit instructa,  
sed ut hostibus etiam queat resistere.

LXXXVII. Exigit deinde & gloriæ quandam  
amplitudinem; quæ tamen ad reliqua illa, instar appen-  
dicis, accedere videtur: utilissimam tamen, imò necessa-  
riam quodammodo, & hanc putamus ad hoc saltem, ut  
Cives tūm ad statum eundem tuendum, tūm ad virtutem  
colendam inflamentur.

LXXXVIII. Ob quam quidem virtutis honestatem  
etiam Leges in Civitatibus feruntur: quæ intestinas ca-  
lamitates prohibeant & à corpore cuiusque vim, à Fama  
calumniam, à Fortunis periculum arceant.

LXXXIX. Hinc nostro quidem judicio Philoso-  
phus haud injustè reprehendit Socratem. l. 4. polit. c. 4.  
Quod finem Civitatis in solâ propemodum cohabitanti-  
um utilitate collocaverit.

X.C. Hoc enim si verum esset; nil fore discriminis  
existimamus, inter Hominum & Brutorum quorundam  
societatem; Quæ ipsa etiam nonnunquam Monarchiam,  
ut Apes; nonnunquam Democratiam, ut formicæ; non-

nunquam verò & Aristocratiā, quemadmodum Grues  
representare videntur.

XCI. De Apibus & Formicis res clara est. De Gruis  
bus diligentiores rerum naturalium scrutatores observa-  
runt, quod excubias habeant, agmina ducant, magistris  
militum utantur, ordines deniq; & operum vices servent  
&c. Quæ campanella in Atheismo triumphat. c. 3. pag. 23.  
& sequentibus pluribus exponit & illustrat.

XCI I. Vnde illud etiam in eodem Philosophus  
reprehendit Socrate, quod potiorem Materiæ quam For-  
mæ rationem habuerit, neq; ut par erat, judiciorum recte  
constituendorum fecerit mentionem.

XCI II. Quum tamen finis primarius Civitatis sit,  
ut honestè justèque vivatur : quod quidem sine judicijs  
& bonâ educatione (quam nihilominus per quam egregie  
apud Platonem urget Socrates) vix fieri potest.

XCI V. Postremo & illud ibidem taxatur quod  
πολευτικὴ seu βαλευόμενον h. e. consilium ipsum à Socrate  
fuerit neglectum. Id verò Aristoteles caput ipsum & quasi  
summam Συνέσεως πολιτικῆς esse dicit.

XCV. Eamque in textu citato disertis verbis Iu-  
diciariæ prudentiæ contradistinguit, quam Græcè ibi-  
dem Δικαιοσύνη δικαστική appellat.

XCVI. Et verò (quod supra jam dictum) res plana  
est: Illa namque ad Politicum; Hæc ad ICtum præcisè  
spectat. Illa ex historiis, hæc è legibus jam latis hauritur.  
Illa absolute prudentem; Hæc juris peritum facit.

XCVII. Quod autem in uno eodemque nonnun-  
quam individuo hæc ambæ facultates conjungi possint,  
ipsoq; etiam facto jungantur; id ipsi distinctioni nil quic-  
quam derogat. Quemadmodum id Aristoteles exemplo  
Militiæ & Agriculturæ confirmat.

XCI IX.

**XCIIX.** Evidem, inquit, sive separatis quibusdam ad-  
sunt, sive ipsis; ( Iudicandi videlicet & Deliberandi fa-  
cultates distinctæ;) nihil ad disputationem interest: Nam &  
ipsam saepe accidit, & militare & agros colere. Ergo etiam  
accidere potest, vult dicere, ut quis sit & judex bonus &  
bonus Senator.

**XCIX.** Cæterum, hoc quicquid est perfectionis;  
quod finem Civitatis concernit; à Forma potius h.e. Re-  
publica, quam à Materia seu Civitate ipsa arcessitur. Illa  
enim Huic & unitatem & essentiam largitur.

**C.** Hinc Aristoteli non tantum, sed & Platonis  
quoque dicitur, id est, species: quia specificat id,  
quod alias magnam habebat latitudinem & genericam  
tantum naturam exprimebat.

**C I.** Quamdiu igitur hæc forma eadem, tamdiu  
eriam eadem est Respublica; si autem mutatur, alia quo-  
que exinde Resp. nascitur, quantumvis ædificia, mænia,  
suburbia, ipsiq; adeò homines ijdem perseverent.

**C II.** Cumque per hanc formam ordinatus con-  
stituatur cætus, rectissimè definitur *III. Politio. cap. 4.*  
*Ordo Civitatis*, quum in aliis magistratibus, tum in eo maximè,  
qui omnium est princeps.

**C III.** Definitum ipsum est *πολιτεία* hoc loco: non  
strictè accepta, pro ea Reip. forma quæ popularis est, ut  
sumitur vocabulum *lib. IV. Polit. cap. 8.* sed paullò latius,  
prout omnes Rerump. formas includit.

**C IV.** Nam & Latini, si penitus rem ipsam inspi-  
cias, eodem modo vocabulūm Reipublicæ usurpant.  
Nam & omnes Civitatum formas isthoc nomine frequen-  
ter appellant, & popularem tamen statum eodem inter-  
dum exprimunt.

**C V.** Unde Critici nonnulli contendunt: *Reipo-  
plicam,*



*iplicam, potius (quasi dicas rem publicam sive ad totum populum pertinentem) quam Rempublicam scribi debere. Quam litem aliis decidendam reliquimus.*

**CVI.** Illud asserere non dubitamus: Si publicum aliquid dicatur quasi populicū; perinde fore, quo tandem cunque modo quibusvis characteribus vox ipsa scribatur. Res enim eodem recidit.

**CVII.** Nam in Republica strictè dicta verissimum, & vim Legis fundamentalis habens, effatum est, quod curiæ cuidam urbis celeberrimæ aureis literis inscriptum vidimus: PRINCIPIVM DISCORDIAE EST, ALIQUID COMMUNE SVVM FACERE.

**CIX.** Vnde Scipio apud Ciceronem (ut Augustinus etiam *l. II. de Civ. Dei. cap. 21.* observat) Rempublicam dicit esse rem populi: Populum autem non omnem cætum multitudinis; sed cætum juris consensu & utilitatis communione sociatum.

**CIX.** Hic juris consensus, hæc utilitatis communio, nil aliud est quam πόλεως τάξις h.e. Civitatis ordo, Generis locum obtinens in ipsa definitione seu descriptione hac generali.

**CX.** Eum verò quum in alijs magistratibus, tum verò præcipue in eo spectari qui princeps est, ita philosophus citato jam *cap. IV. libri 3. Polit.* ostendit.

**CXI.** τὸ πολίτυμα, inquit, id est, ipsum Regimen Civitatis rerumque omnium quæ ad Civitatem pertinent, πέριου πανταχθῆ τῆς πόλεως, id quod sumum, est in tota Civitate.

**CXII.** Quum igitur ibidem dixisset: *Ordo est Res publica. verbigratia, in Democratiis quidem princeps est Populus, in Oligarchijs verò contra Fauci: Dicimus autem & Rem publicam harum esse alias; Eodem autem modo dicemus & de aliis: duas*

duas statim hypotheses pro eruenda communissima Re-  
rum publ. Divisione partim repetit, partim de novo  
constituit.

**CXIII.** Quarum altera quidem est de Fine ci-  
vitatis jam satis prolixè superius explicato: Altera de  
ipsissimo hoc fundamento dividendi Imperium in com-  
muni.

**CXIV.** Etenim aliud quidem per se utilita-  
tem Imperantium, per accidens verò etiam parentium  
commoda querere statuit: Quale est, exempli gratia,  
Despoticum. Aliud ex adverso per se ac principaliter u-  
tilitatem parentium, secundariò tantum imperantium  
commodis destinari, dicit. Ut in Imperio Mariti, Patris  
& Civili, recte sese habente, patet.

**CXV.** Ex utraque autem Hypothesi ipsam tan-  
dem hanc divisionem arcessit: Quā aliæ quidem Respu-  
blicæ Rectæ, aliæ verò Depravatae & à rectis aberrantes,  
vel ipsæ potius rectarum aberrationes dicuntur.

**CXVI.** Verba Philosophi hæc sunt: Perspicuum  
est, Republicas eas quidem, quæ commune bonum spectant  
(h.e. quibus publica salus est proposita) Rectas esse iure &c.  
eas verò quæ imperantium tantum, omnes esse depravatas & à  
bonis Rebus publicis aberrantes.

**CXVII.** Quod ipsum Iudicio Veterum Politi-  
corum ibidem confirmat, quorum quemque optasse  
ait, ut singuli vicissim in liberis Rebus publ. imperarent.  
Tanta nimirum probitas erat mortalium, priusquā lucri  
fordibus animi plerorumque infecti essent.

**CXIX.** Nunc verò (verba sunt Aristotelis de  
corruptela temporum suorum conquerentis) propter  
commoda (i.e. quæstus caussa) quæ ex Rep. & Magistratibus  
capiuntur perpetuò magistratus gerere volunt, tanquam si acci-  
deret,

C



deret, ut, qui sint infirmi, (laborantes Avaritiæ morbo, quem Ambitio & Imperandi libido sequitur & accedit) semper magistratus gerendo bene valeant.

C XIX. Etenim (pergit) sic fortasse imperia persequuntur. Ac si, scilicet, extra magistratum ægri semper essent; eum verò consecuti & jam reapse gerentes revalescerent.

C XX. Qua de re non possumus quin eximiam prorsus Ciceronis doctrinam ex lib. 1. de officiis huc adducamus: Omnino qui Reip. præfuturi sunt (ait Romanorum Disertissimus) duo Platonis præcepta teneant. Vnum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quicquid agunt ad eam referant; oblitii commodorum suorum.

C XXI. Alterum: ut totum corpus Reip. carente ne dum partem aliquam tuerintur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio Reip. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissi, gerenda est.

C XXII. Non addimus reliqua, quæ aurea prorsus, & cum pudore Christianorum quorundam maximo revera sunt conjuncta. Illud tantum verbulo monemus: Hæc ipsa præcepta sparsim haberi apud Platonem Libris videlicet de Rep. I. IV. & VI.

C XXIII. Et O felices magistratus, si tutores se esse meminerint, vel potius si re vera TUTORES CIVITATIS appellari quiverint! Felices porrò & subditos seu cives, si Orphanos se crediderint atque pupillos, & horum instar tractari se passi fuerint.

C XXIV. Sed ad Aristotelem revertamur; qui lib. v. polit. cap. 9. requisita boni Magistratus (præcipue summi, de quo cum primis solliciti nunc sumus) tam præclarè proponit & explicat, ut aliorum sententijs hic facile carere posse videamur.

C XXV.

CXXV. Ac I. quidem & ante omnia Studium  
& amorem erga Remp. præsentem in eo desiderat. Hoc e-  
nīm qui destituatur, ne Civis quidem sit bonus, ut su-  
pra probatum est, tantum abest ut bonus habeti magi-  
stratus possit.

CXXVI. Nam qui odio habet Remp. & simul  
est potens, vel certè potentes facile invenit auxiliatores,  
is evertit Remp. etiam lubentiā ipsā lubentius. Quod in-  
numeris ex historia exemplis facillimē, nisi res liquida  
esset, probaretur.

CXXVII. Deinde etiam II. in eodem scientiam  
requirit, h.e. Facultatem obeundi sua munia maximam.  
Ut enim ridiculus sit, qui gubernaculum, artis navigandi  
imperito, commiserit; ita haud magis sanus, qui sciens  
volensque Remp. tradiderit Non-Politico.

CXXIX. Evidem non nego; interdum pro-  
pter Nobilitatem, Fortitudinem bellicam, & ipsam quo-  
que Amicitiam, à Magnis Regibus imperia quibusdam  
vel summos committi magistratus. Verūm, non jam quid  
fiat; sed quid fieri debeat? quæritur.

CXXX. Ecce enim non tradimus instrumenta  
Musica eleganti alicui puellæ, quantumvis musices im-  
peritissimæ, propterea quod per quam sit formosa? Ni-  
mirum formâ non canitur; sed habitu artis illius, qua de-  
nunc nobis est sermo.

CXL. Quin imò non omnis Virtus simpliciter  
aptum aliquem reddit ad res quascunque gerendas. Qua-  
de re elegans habetur locus apud Plutarchū in apophthegmat.  
quem haud fortassis incommodè huc transscribimus.

CXL I. Quum L. Domitius (inquit Plutarchus)  
in castris Pompeianis vellet, ut miles aliquis duceret ordines,

eumque commendaret ex eo, quod vir probus esset & temperans; si talis est, respondebat Cicero: Mi Domiti, quare non præfici eum tutorem aut præceptorem tuis liberis?

**CXLII.** Norat enim Vir prudentissimus: aliam pædagogi, aliam ducis bellici esse virtutem, nec unâ fidelia (ut in proverbio dicitur), omnes dealbari parietes posse. Sed quo dilabimur?

**CXLIII.** Requisitum III: Boni magistratus à philosopho statuitur Virtus & Iustitia. Æquè enim periculorum effet, improbo largiri potentiam, atque homini furioso dare gladium. Nec est, cur credas, si priora duo adessent, hoc tertio haud opus fore.

**CXLIV.** Respondemus enim: Fieri posse, ut quis & Velit quidem & Possit servare præsentem Reip. statum; nec servet tamen. Propterea, quod habeat se ad modum hominis incontinentis dicatque; cum illa apud Roëtam:

*Vide o meliora, probogue, deteriora sequor.*

**CXLV.** Itaque magni momenti res est Magistratum recte gerere: estque adeò existimandum, si non in primis; sic satis bellè nobiscum agi; modò vel in secundis vel tertii saltem consistere nobis liceat.

**CXLVI.** Hinc ipse etiam Aristoteles, in textu capituli citati, hanc quæstionem movet: *Vbi h'ac omnia in eundem non concurrunt, quemadmodum facienda tum sit distinctio?* Cumque casum aliquem proposuisset in terminis, hoc statim egregium documentum subjungit.

**CXLVII.** Duo, inquit, videntur spectanda: Cujus rei maiorem omnes habeant partem, & cuius minorem. Ideoque in Prætura quidem militari Vsus (ἐμπειρία sive experientia) magis, quam Virtus, erit spectandus: Nam usus magis sunt participes

ricipes (nimirum Milites) Virtutis verò minus; in Custodia  
verò & Quæstura contrà, majore namq. Virtute est opus, quam  
quantam vulgus habeat; scientia autem communis est omni-  
bus..

**CXLIX.** Istud verò jam prorsus aureum nobis  
videtur, quod aliquam multis interjectis, subjicit &  
Omnium ait, expositorum maximum, ad hoc, ut Resp. conserven-  
tur, illud est, quod nunc pleriq. negligunt: **INSTITVI CON-**  
**VENIENTER REBVSPVBLICIS.**

**CXLIX.** Vbi primùm omnium communem jam  
isto tempore querelam (quod nunc pleriq. negligunt) obser-  
vamus: eamque adhuc hodie non solum in Re Civili sed  
etiam Literaria locum habere statuimus. Vnde rectissimè  
Seneca: *Quoniam superflua discimus, ea, quæ necessaria sunt,*  
*ignoramus.*

**CL.** Deinde ex ipsius visceribus textus eruimus:  
quid per illud: **INSTITVI CONVENIENTER REBVSPVBLICIS**  
intelligatur? Quod utique in eo haud positum esse vi-  
detur, ut Oligarchici discant, quæ placent Oligarchicis,  
vel Democratici quæ populo sunt gratissima.

**CLI.** Sed in eo, ut utrique discant, quibus subdi-  
tos sine offensa regere, & in officio continere queant.  
Quam graviter autem hic peccari soleat ibidem Philo-  
sophus ostendit. Nam Nobilium Divitumque Liberos.  
molliter passim ac delicate educari. Tenuiorum verò,  
præclaris exercitijs & laboribus operam dare, ostendit.  
Vnde duo incommoda provenire necessum est.

**CLII.** Primum est: Quod potentiores præcæte-  
ris petulantes tandem evadant & in reliquos cives inju-  
rij; & nihilo tamen minus seditione fortassis obortâ  
(quod molles sint & delicati vel, ut Boethij verbis utar,  
inerti luxu perditi) à cæteris facile superentur..

C 3;

**CLIII.**



**C L I I I.** Alterum: Quod hi ipsi cæteri, id est, tenuiorum liberi, res novas moliri & velint libenter, & vero etiam facile possint. Velle putamus; quia injurijs atq; contumeliis sunt lacesiti: Posse autem; quoniam in Armis Literisq; exercitati, simulq; laboribus sunt adsueti.

**C L I V.** Oracula hæc sunt potius, quam præcepta: Sive veritatem species ipsam, sive neglectus ipsius evenitum: Hoc est, horrenda flagitia, quæ neglectam educationem institutionemque Civium sequuntur. Non opus est verbis:

*Ante oculos interg<sub>z</sub> manus sunt omnia nostras.*

**C L V.** Quum igitur de caussis corruptentibus & conservantibus Republicas in generali hac doctrina commode satis agi non possit; nos haud immemores inscriptionis, exercitio huic præmissæ, distinctam hanc cognitionem distinctè de Rerump. speciebus agentibus nunc committimus.

**C L VI.** Hac interim splendidissimâ Aristotelis geminâ (quæ caput proximè citatum illustrat) theses hasce quasi obsignamus: *Legum, ait, etiam utilissimarum & Decretorum, quæ ab omnibus gerentibus Rempublicam sunt facta, nulla est utilitas, nisi sint adsuefacti & instituti in Republica.*

**C L VII.** Quæ verba cum hisce subjunctis: *nam si in uno est incontinentia, est & in Civitate*: doctissimi qui-que commentatores ita interpretantur. Quales sunt Civium singulorum mores, tales quoque fore Civitates, & Republicas. Cives enim Incontinentes & mali incontinentem malamque Rempublicam; Continentes ex adverso ac boni, etiam sibi conformem constituent.

**F I N I S.**



Humanissimo, candidissimoque  
pectori.

## NICOLAO ERASMO Nissen.

### SONNET.



Itæ Musa magistra singularis,  
Musæ vita Sophi; in Sophis su-  
premis  
Primæ est SCHEVRLEADES lucer-  
na sedis;

Hoc ERASME loco simul locaris,  
Dum quid publica res sit hiscè claris,  
(Tanquam ardentibus undecunq; tædis,)  
Monstras & placitis medere fœdis;  
Seris unde nepotibus canaris.  
Hoc porrò accipias amice suavis,  
Quod nostris decori sit Allemannis,  
Seu queiscunque viris placere mavis.

Cunctis

Cunctis quin vireas locis & annis,  
Et cæptis hominum resiste praviss;  
Sic cedet tibi temporum tyrannis.

L. M. Q.

STEPHANVS Renckell  
Flensb. Holsat.






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-571222-p0035-7

DFG



Helmsleitl, Diss., 1647

**ULB Halle**  
006 570 283


3



V317







DEΩ.  
POLITICA  
TE ET  
CA IN  
R E.  
  
<sup>M</sup>  
PREMO NUMINE  
IDE  
Excellentissimo  
IVLIO Scheurl,  
ero, Moralium ac Ci-  
Facultatis Philosophi-  
c Favitore suo æta-  
colendo,  
ADEMIA IVLIA  
ii subiicit  
SMVS 27tissim  
us.  
éi auditorio.  
Martii.  
STADI,  
VLLERI acad. typ.